Weisse – De Elegia et peculiari ejus operis
indole, etc.

De elegia

et peculiari ejus operis indole apud Romanos,

addita

aestimatione scriptorum, qui in eo restant.

Scripsit

I. P. Weisse.

Christianiae.

MDCCCLXXV.

Prøveforelæsning ved konkurrence om professoratet i latinsk filologi

H. J. Jensens bogtrykkeri.

„Elegia est carmen compositum hexametro pentametroque". Verba sunt Diomedis grammatici (III, 481, ed. Putsch:), cujus si sequaris definitionem, nulla alia re quam forma et metro tota elegiae ratio circumscribenda est, nulla argumenti ratione habita, ut sit elegia idem quod alio nomine distichon appellari solet. Neque aliter elegiae naturam interpretati sunt Graeci, a quibus ortum est totum hoc genus. Est autem elegia Graecorum carmen inter epicam et melicam poësim ut ita dicam medium, cujus initia ita intelligi possunt, si in eo poëtam ab epica illa in rebus heroicis narrandis sublimitate ad suos ipsius sensus perscribendos quasi timide progressum esse statuas, ipsarum rerum contemplatione etiamnunc detentum necdum affectus animi elate et libere eloqui audentem. Unde intelligi potest, et primos illos poëtas lyricos disticho usos esse, quia affine est hoc metrum illi, quo composita sunt carmina epica, hexametro, et argumenta carminum elegiacorum varia fuisse, quia multa poësis lyricae genera naturae distichi accommodata erant. Quorum generum apud Graecos praecipua haec fuere: elegia gnomica, symposiaca sive convivalis, amatoria, lugubris sive θρηνώδης. Quae genera ut non omnia amplexi sint Romanorum poëtae elegiaci, qua de causa factum sit, infra disputabimus.

Quodsi in ea, quae supra memorata est, definitione subsistendum esset, prima elegiae initia apud Romanos quaerenti inde ab Ennii temporibus incipiendum erat, quoniam quum in sepulcrorum monumentis tum in imaginibus inscripti versus elegiaci saepissime inveniuntur; deinde et hoc et alia epigrammatum genera, quin etiam didacticae quam vocant poësis opera quaedam elegiae Romanae adnumeranda erant. At tota haec ratio, quamvis valeat de Graecorum carmine elegiaco, si de Romanorum quaestio est, inutilis esse videtur. Ita enim inter se diversa sunt illa genera, quibus aptum est distichon, ut idem nomen omnibus tribuere, si non absonum et absurdum, at certe ab accurata rei aestimatione alienum

esse jam viderint Romani. Arctioribus igitur finibus determinanda nobis est notio elegiae Romanorum, ut metri praeceptum illud retinentes his tantummodo elegiae nomen relinquamus, quae lyrico argumento a distichis didacticis, ambitu quodam et auctoritate ab epigrammatis et inscriptionibus distinguantur. Sed notio elegiae quae sit, quanto longius procedit ipsa disputatio nostra, tanto melius illustrabitur.

His rebus praemissis, priusquam de peculiari elegiae indole apud Romanos dicere incipiam, historiam ejus paucis disserere haud a re alienum esse putaverim. Ita enim ipsam illam indolem melius intelligi posse credo. Totam vero lyricam apud Romanos poësim, quod a gentis ingenio prorsus abhorruerit, a Graecis et imitatione Graecorum in universum pendere, notissimum est. Quo factum est, ut sero admodum, quum jam Graecorum literis et disciplina imbuti essent, Romani his studiis vacaverint. Facilius tamen illud breviorisque ambitus genus epigrammatis, quod et ipsum ad melicam poësim pertinet, inde ab Ennii temporibus usurpatum esse jam supra dixi. Neque in sepulcrorum monumentis solum; sed vera etiam carmina epigrammatica, partim gnomica, partim amatoria, jam priori parte saeculi urbis septimi Valerius Aedituus, Porcius Licinus, Quintus Catulus, Quinctius Atta, alii aequales Lucilio composuisse dicuntur. Sed verae et propriae artis lyricae initia non ante Ciceronis tempora occurrunt, neque tunc quidem nisi posteriori illius saeculi parte [1]). Omnino postremis liberae reipublicae temporibus ita invaluerat apud Romanos Graecarum literarum omnisque liberalis doctrinae scientia, ut etiam ad poësim aliquantum illius ubertatis redundaret, necesse esset. Omnes fere homines, qui artibus et literis eruditi sibi viderentur, tunc versus facere conabantur, maxime carmina amatoria, quae nemo se facere non posse opinabatur. Imitabantur autem poëtas

---

[1]) Commemoratur sane Laevius quidam, Erotopaegnion auctor (ap. Gellium II. 24, 8, alios), de cujus aetate dissentiunt viri docti, alii eum ad Lucilii, alii ad Pomponii aetatem referentes; deinde M. Furius Bibaculus (a. u. 651 natus), quem stringit vel saltem strinxisse videtur Horatius (Sat. II, 5, et teste Acrone etiam I, 10), iamborum carmina maledica composuit ille quidem; legimus etiam de Varronis Reatini libro poëtico, qui lyrici argumenti fuisse videtur (Diom. I p. 395 ed. P.), de ipsius Ciceronis elegia a Servio commemorata (ad Ecl. 1, 58), de Hortensii oratoris carminibus amatoriis. Sed tamen extremis fere Ciceronis temporibus primum in poësi lyrica aliquid profectum esse satis constat.

Alexandrinos, et epicos et melicos; quibus ipsis temporibus elegia quoque propria, qualis supra est a nobis definita, apud Romanos orta est.

Constat literas Romae maxime floruisse a Ciceronis temporibus usque ad aetatem fere principis Hadriani; deinde hoc temporis spatium, quod ad historiam literariam attineat, in tres partes dividi solere, quarum unam aetatem Ciceronianam, alteram Augusti sive auream, tertiam argenteam vulgo appellari; primam autem prosa oratione, poësi alteram maxime excelluisse; postremo argentea aetate, post mortem Augusti quum omnia libertatis vestigia per principatum delerentur, in deterius paullatim versa et mutata omnia esse. Haec ut in universum recte dicuntur, ita in historiam elegiae etiam optime quadrant. Nam ut supra jam diximus primi poëtae elegiaci Ciceronis temporibus pedetentim rem tentantes quasi primum in hoc genere componendo gradum facere ausi sunt, quales fuisse videntur Varro Atacinus et fortasse Licinius Calvus, quorum tamen scripta non restant. Ad eandem aetatem referendus est Catullus. Sequitur aetas aurea elegiae, in qua floruere Tibullus, Propertius, Ovidius; denique post mortem Augusti, quamquam versuum elegiacorum faciendorum consvetudo in deliciis saeculi fuisse videtur, ut non solum ii, qui sibi ipsis poëtae viderentur, in ejusmodi versibus ex sese extorquendis sibi indulgerent, sed in scholis etiam discipulis, ut exercitationis gratia elegias componerent, proponi soleret, tamen in poësi elegiaca non modo nullus progressus factus, sed omnino nihil memoria dignum effectum est.

Nunc vero de vita scriptisque praecipuorum poëtarum elegiacorum breviter disserere placet. Sed praetermittam omnes, quos, quum amatoria carmina eos scripsisse constet, elegiaca etiam composuisse nemo dixit, Anserem, Cinnam, Cornificium, Memmium.

P. Terentium Varronem Atacinum, a. u. 672 in vico Atace, unde nomen habuit, natum, quem epicum poëma, bellum Sequanicum inscriptum, deinde saturas (teste Horatio Sat. I. 10, 46), denique postquam XXXV annos natus Graecas literas didicit, poëtas Alexandrinos (Apollonium Rhodium) imitatus Argonauticon epos, alia composuisse constat, amatoria quoque carmina elegiaca conscripsisse testantur Propertius (II. 34, 85: „haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro, Varro Leucadiae maxima flamma suae“) et Ovidius (Trist. II, 439: „Is quoque Phasiacas Argo qui duxit in undas, Non potuit Veneris furta tacere suae“). Eodem fere

tempore vixit — ut de Ticida (Ov. Trist. II, 483) taceam — C. Licinius Macer Calvus, amicus Catulli, filius notissimi patris Licinii Macri annalium auctoris, felicissimo ingenio praeditus et orator et poëta, a Catullo propter humilem staturam corporis „salaputium disertum" satis lepide appellatus (Catul. 53, 5). Cujus commemorantur non solum epigrammata a Svetonio (Cæs. 73), sed etiam carmina amatoria ab Ovidio (Trist. II, 431) et Propertio (II^r. 25, 4). Quae ejus carminum apud Charisium restant fragmenta, elegiaca esse contendi video [2]). Fuisse dicitur Calvus acri et fervido ingenio, et amori et odio satis apto, qua re tanta cum Catulli ingenio et moribus congruentia facta est, ut intimam fuisse eorum amicitiam, ex carminibus Catulli perspicuam, facile credamus. Sunt qui Cassium etiam Parmensem, ab Horatio (Epist. I. 4, 3) commemoratum, elegias scripsisse existiment. Sed — ut jam ad ipsum non tam elegiae quam omnino lyricae poësis apud Romanos lumen veniamus, qui omnes ceteros poëtas Romanorum lyricos facile vincit, — C. Valerius Catullus, a. u. 667 Veronae natus, in carminibus suis non elegiaco solum, sed multis aliis etiam — et his maxime — metris usus est. Omnino ille — praeterquam quod epos, epithalamium Pelei et Thetidos vulgo inscriptum, hexametro composüit (carmen 64) — varias Graecae poësis lyricae formas, galliambos, choriambos, versus Glyconeos, Sapphicos, choliambos, praesertim hendecasyllabos Romam primus Alexandria traduxit. Itaque quem etiamnunc habemus Catulli librum in duas partes dividere solent editores, quarum priori variorum metrorum carmina, altera (a carmine 65 incipienti) disticha maximam partem epigrammatica continentur. In utraque parte complura carmina ad Lesbiam quandam scripta sunt, cum qua muliere primum intimo amore conjunctum fuisse, deinde mulieris animo ad alios viros verso inimicitiam traxisse Catullum, ex ipsis carminibus patet. Quae fuerit Lesbia quum incertum sit — nam amicas suas fictis nominibus praecipue Graecis nominare solent lyrici — tamen non videtur a vero abhorrere quod narrat Apulejus (Apol. 10), Clodiam, sororem illam famosam Publii Clodii, inimicam Ciceronis, Q. Metelli Celeris uxorem fuisse; sed illius mulieris amorem, deinde poëtae nostri ex ea amissa dolorem multum momenti ad poëticum Catulli ingenium excolendum et quasi educandum habuisse, certissimum est. Neque tamen ullum eorum carminum, quae elegiarum nomine

---

[2]) Teuffel, Gesch. d. Röm. Litter. 2te Ausg. p. 357.

quodam modo digna sunt, ad eam scriptum est; quae res indicio est, quam longe abfuerit Catullus a vera illa elegia amatoria, quae Romanorum propria est. Sed, sicut illis sæpe temporibus accidit, ut viri ingenio insolito praediti perturbationibus animi ante tempus debilitati prima juventute mortem obirent, ita Catullus quoque annos tantummodo XXX natus mortuus est, si Schwabio de hac re in quaestionibus suis Catullianis p. 31 sqq. disputanti et Eusebio credendum est.

Sed haec omnia nihil aliud quam incunabula et rudimenta fuere elegiae. Excipit Catullum, praeter L. Varium Rufum, Vergilii et Horatii amicum, quem „carminis et tragoediarum et elegiarum auctorem“ dicit Porphyrio (ad Hor. Od. I. 6, 1), Domitium Marsum, cujus et alia opera et elegiae amatoriae, Melaenis inscriptae, commemorantur, C. Valgium Rufum (vide sis Hor. Od. II, 9. Sat. I. 10, 82; Tibul. IV. 1, 179) cujus elegiarum mentionem facit Servius (ad Verg. Ecl. VII. 22), Codrum, virum ceterum ignotum, quem laudat Vergilius (Ecl. VII. 21) — excipit igitur Catullum is, qui vera elegiae fundamenta apud Romanos posuisse videtur, C. Cornelius Gallus, poëta, si Vergilii amici (Ecl. X), Ovidii (Rem. am. 765), Martialis (Ep. VIII. 73, 6) testimoniis fidem habemus, praestantissimus. Nam hujus non magis carmina restant, quam Varii, Valgii, Marsi. Gallus igitur, Asinii Pollionis familiaris, Vergilii in sinu amicus, a. u. 685 Fori Julii natus est. Quem ad praefecturam Aegypti ex infima fortuna gratia Augusti provectum, deinde ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis ab Augusto interdictum, accusatorum denuntiationibus ad necem compulsum ipsum sibi manum injecisse (a. u. 728) Svetonius auctor est (Aug. 66). Euphorionem autem poëtam Alexandrinum in Latinum sermonem eum transtulisse et amorum suorum de Cytheride scripsisse libros quatuor quum dicat Servius (ad Verg Ecl. X), quocum consentit Probus scholiasta (ad eandem eclogam: „Euphorionis in scribendo secutus colorem videtur Cornelius Gallus“), primus elegiam Alexandrinorum amatoriam Romam traduxisse Gallus existimandus est. Hunc tamen in elegia duriorem fuisse contendit Quinctilianus X. 1, 93.

At praecipuus elegiae artifex est Albius Tibullus, qui a. u. 700 natus ad annum aetatis trigesimum quintum in vita fuisse videtur. Quem Galli successorem dicit Ovidius (Trist. IV. 10, 51); Horatius ad eum direxit carmen libri I trigesimum tertium et epistolam libri I quartam; Ovidius mortem ejus

Amorum libri tertii carmine nono deplorat. Is Alexandrinos secutus elegiam amatoriam sibi elegit, quamquam Panegyricum etiam in amicum suum M. Valerium Messalam Corvinum hexametris, (quem tamen librum Tibulli non esse contenderunt nonnulli), et elegiam in ejusdem Messalae triumphantis honorem (I, 7) composuit. Ceterum vita Tibulli nobis parum cognita est; amores eum habuisse, ut tunc moris erat, plures, Deliam (vero nomine Planiam), deinde Nemesin, ex carminibus conspicuum; tertiam Horatius (Od. I. 33, 2) addit vel addere videtur Glyceram. Carminum quae dicuntur Tibulli libros IV habemus, quorum carminum numerus est triginta septem. Sed magna fuit inter viros doctos dissensio, num essent omnia Tibulli, an nonnulla quaedam aliis tribuenda. Tertium enim librum non a Tibullo, sed ab eo, qui elegia secunda Lygdamum se esse ipse indicat, scriptum esse jam Vossius suspicatus est; quem secuti recentiores, inprimis Dissenius (in prolegg.), Hertzbergius, Ebertius, alii. Diligentissimus elegiacorum investigator Gruppius librum, de quo quaeritur, miro modo Ovidio tribuit, vehementer repugnante Hertzbergio (Hallische Jahrb. 1839). Et sicut inter plerosque ita convenisse videtur, ut Tibulli esse librum tertium negent, quod tota ejus libri indoles a Tibullo valde abhorreat ingenioque ejus repugnet, ita negari non potest, versu duodevigesimo elegiae quintae, ubi a. u. 711 auctor se natum esse indicat, quod in Tibulli aetatem nullo modo quadrat — quoniam nulla est causa cur hunc solum versum ab alio intrusum esse statuamus, ut voluerunt nonnulli — satis evidenter probari, totum librum tertium non Tibulli opus sed alius poëtae minoris natu et minoris ingenio esse. Deinde libri quarti Panegyricum, ut videtur sine causa, Tibullo abjudicare nonnulli conati sunt; denique ejusdem libri elegiae octava, nona, decima, undecima, duodecima Sulpiciae cujusdam poëtriae esse nunc vulgo existimantur.

Tibullo minor, Ovidio major natu Sextus Propertius fuit, qui quo anno et in qua urbe (Assisii?) natus sit, pro certo indicari non potest; sed fuit ex Umbria oriundus. Amicus erat Ovidii (Trist. IV. 10, 45); in domum Maecenatis introductus est et prope eum habitavit in Esqviliis. Tanto magis est mirandum, quod nunquam neque ipse Horatium neque eum Horatius ne uno quidem verbo commemorat. Sanum Horatii judicium cum Propertii adolescentis turbulenta tempestate parum consensisse recte suspicatur Teuffelius. Sed ne Tibulli quidem mentionem facit Propertius (v. sis II, 34). Videtur fuisse infirma valetudine, mortem praematuram animo

praesagiens. Cynthiam (vero nomine Hostiam appellatam narrant veteres) amavit vehementissime et viventem et mortuam, quamquam non in hac una poëtae amorem substitisse constat. Habemus etiamnunc Propertii carminum libros IV, quos Lachmannus aliter carmina distribuendo quinque effecit, secundo libro in duos diviso, quod recte factum esse ex ipsis carminibus perspici potest. Multo etiam liberius Gruppius ordinem singulorum carminum transponere conatus est, sed frustra, quamquam eum qui nunc est ordinem justum non esse omnes consentiunt. Nihil aliud scripsit Propertius quam elegias, ad exemplum Callimachi et Philetae Alexandrinorum (III, 1) — vocabatur Callimachus Romanorum — neque tamen omnes amatorias; nam et secundi libri nonnullae et extremi fere omnes aut argumenta ex rebus gestis fabulisve populi Romani duxere, aut ad certos homines, aut de poëta ipso scriptae sunt: ut his exemplis utar, libri II elegiae I et IX ad Maecenatem, ad Augustum decima, libri quarti elegia quarta de Romae magnificentia, ad Vertumnum secunda, quarta de Tarpeja, de victoria Actiaca sexta, nona de Hercule et Caco, denique de se suaque gloria libri tertii elegiae prima, secunda, tertia.

Quartum se ab his, qui nunc commemorati sunt, poëtis elegiacis serie temporis fuisse ipse indicat Ovidius Tristium libri quarti elegia decima (v. 51). Quem virum omnium fortasse poëtarum Romanorum maximis ingenii dotibus praeditum, ut verbo Hertzbergii commodissimo utar, hodiernis Gallis simillimum (Hertzb. quaest Prop. 60), quum multa alia versibus composuisse notissimum sit, tamen in elegia ipse sibi, et hoc non injuria, maxime excellere videtur (Amor. III. 1, 15). Tam facile enim in metro elegiaco versabatur, ut ea etiam, quae epico hexametro vel metro iambico dici solerent, argumenta his potissimum versibus includeret (v. sis Fastos, Ibidem). Natus est P. Ovidius Naso a. u. 711 Sulmone. Arti rhetoricae eum adolescentem vacavisse auctor est Seneca (Controv. II. 10, 8), Arellii Fusci, Porcii Latronis auditorem eum fuisse dicens; deinde magistratibus quibusdam minoribus gestis totum se studio poësis tradidit. Ter uxores duxit; tertia uxor Fabia, amica Liviae Augustae, et filia Perilla poëtria, quas tenere amavit, marito et patri superstites. Fuisse autem Ovidium animo levi et lascivo quum satis ex operibus ejus arguatur, facile est intelligere, illum hominem nulla morum vel animi constantia in rebus adversis dolore et aegritudine vexatum fortunae succubuisse. Subito enim ab Augusto in exsilium ejectus, ut ferebatur, propter lasciviam carminum, re vera

ob aliam sed ignotam illam quidem causam, Tomos in urbem Getarum exsulatum ivit, ubi quum octo annos nulla alia re quam carminibus pangendis solatium quaerens vixisset, fato suo victus e vita excessit a. u. 770. Opera autem Ovidii huc pertinentia haec sunt: 1) Amorum libri III, quos multi principio quinque, deinde nova ipsius poëtae recensione in trium numerum redactos fuisse censent, cui opinioni tamen Jahnius repugnat. Quo tempore editi sint, difficile est dicere, variantibus inter annos 739 et 752 virorum doctorum sententiis. Ut jam ex ipso librorum nomine conjicere licet, amores Ovidii, praesertim Corinnae, his libris continentur. 2) Heroides, heroinarum epistolae, quas ad suum quamque maritum aut amicum absentem scripsisse fingit Ovidius; quod genus se invenisse ipse contendit (Ars am. III, 345), neque est cur aliter rem sese habere credamus; aliquot annis ante exsilium editas esse heroides omnes consentiunt. Ceterum de heroidum nonnullarum fide valde dubitatur; inprimis extremae epistolae sex Aulo cuidam Sabino vulgo tribuuntur. 3) Sequuntur Ars amatoria, Remedia amoris, Medicamina faciei, quibus operibus poëta cum lepida quadam ironia lectorem de rebus ad amorem pertinentibus se docere simulat, qua re fit, ut videantur neque sint didactica. 4) Denique libri Tristium V, quinquaginta elegias continentes, et epistolarum ex Ponto quadraginta sex libri IV, quibus de fortuna sua et exsilio queritur Ovidius Falso autem Ovidii dictae sunt esse aliae nonnullae elegiae, quas verbo attingere satis erit: Nux elegia; Consolatio ad Liviam Augustam, quam sunt qui Pedonis Albinovani esse velint; elegia ad Philomelam, aliae, quae, serioris aetatis esse videntur.

Ex iis, qui Ovidio aequales fuerunt, poëtis elegiacis nemo celebrior fuisse videtur quam is, quem supra commemoravimus, C. Pedo Albinovanus, ad quem scripta est epistola decima libri quarti Epistolarum ex Ponto. Fuit igitur amicus Ovidii, qui „sidereum Pedonem“ laudat (Ep. ex Ponto IV. 16, 6). Sed nulla ejus elegia restat. Denique praetermittenda non est ea, quae in Catalectis quae dicuntur Vergilianis invenitur elegia ad M. Messalam, qua maximis laudibus efferuntur Corvini et res et libri; cujus tamen auctor, quoniam Vergilii ipsius non potest esse, ignotus est. De serioris aetatis poëtis elegiacis elegiisque hic loqui mihi licebit supersedere.

Jam si quaeritur, quae fuerit indoles elegiae apud Romanos, haec inprimis monenda sunt. Lyrica poësi cum natura et proprietate Romanorum parum conveniente, perpauci sunt, qui apud eos in eo genere elaboraverint, pauciores etiam qui feliciter. Verus poëta Catullus fuit ille quidem et omnium lyricorum maxime excellens, neque Calvus sine ingenio fuisse videtur; inferior Catullo Horatius, si ad sola melica carmina spectamus, quippe qui non tam divino vatis instinctu commotus quam mentis acumine ad rerum considerationem ductus poëmata sua melica aetate jam provecta conscripserit, formas tamen poësis lyricae Graecorum Romam transtulit. Sed nemo horum secutus est exemplum. Unde perspicuum fit, quid valeat apud Romanos elegia. Nam quum in hoc uno genere poësis lyricae Romani aliquid et novi et egregii consequi potuerint, elegia quodammodo ceteram paupertatem compensari dicendum est. Neque sane elegiae inventores Romani; sed, quum elegiam Alexandrinorum poëtarum et doctissimorum et aridissimorum, qui maxime Augusti temporibus Romae lectitari coepti erant, recepissent, non meram imitationem, sed peculiare et proprium opus effecere inprimis quos supra nominavimus Tibullus, Propertius, Ovidius.

Quod si quis elegiam Romanorum ejusque veram naturam perspectam habere velit, ad ea quibus nata sit et floruerit tempora eorumque condicionem animum advertat, necesse est. Quia non a vetere illa Graeciae, sed ab Alexandrinorum recentiori elegia originem traxit, non antiqua illa Callini, Mimnermi, aliorum gnomica elegia, sed Alexandrinorum, quae praecipue amatoria fuit, Romam transferretur, necesse erat. Invenimus sane apud Tibullum et Propertium elegias, sed paucas, quibus non amores, sed aliae privatae vel publicae vitae rationes argumentum dedere; queritur sane Ovidius de casibus suis in iis elegiis, quas in exsilio composuit. Verum non his, sed illis potissimum amatoriis vis et natura elegiae apud Romanos planius exhibetur. Quamobrem in hoc genere investigando inprimis earum rerum, quae ad amorem pertinent, ratio qualis tunc temporis fuerit, respiciendum erit. Et ut verbo dicam, mores eorum temporum ejusmodi fuere, ut illa antiquissima legens Parisiis te versari facile credas. Veteris reipublicae fundamentis quasi cuniculo subtractis quum singuli homines quidquid ipsis placeret maxima insolentia agere coepissent, quum nulla religio, nulla verecundia, nulla deorum fides plerumque signum eruditionis videretur, quum quanto magis reipublicae libertas a singulis subver-

teretur, tanto plus sibi in privata vita licentiae singuli assumerent — his igitur temporibus ne matrimonii quidem vinculis teneri homines adolescentes doctos inprimis intelligentesque quis miratur? Quamquam non viri solum, sed saepissime etiam mulieres elegantes et liberali doctrina politae — qualis Clodia Catulli — nullis se vinculis teneri patientes totas sese libidini voluptatibusque tradebant. Sulpicia illa, femina non ignobilis, ex gente antiquissima Sulpiciorum oriunda, quantam elegiis suis libidinis insolentiam ostendit, quantam morum licentiam? Quae quum ita essent, liberrima consvetudine plerumque utebantur viri mulieresque, amplexusque libertinarum aliarumque, quales apud Graecos ἑταῖραι illae famosae, adolescentibus magis placebat quam cum pudica uxore quieta vita — ut de puerorum amore prorsus taceam.

In his rebus vertitur, his nititur elegia Romanorum, haec est ejus tota condicio, sine qua non potest neque stare neque intelligi. Quod quamvis sit verum, tamen saepe multi eorum, qui de hoc genere disputant, poëtica elegiarum venustate et elegantia inducti non omittere sed velo quodam et decenti et mendaci occultare mihi videntur. Igitur, si quis quae sit indoles elegiae apud Romanos interroget, primum omnium respondendum est, talem eam esse, qualis nunquam nisi corruptis temporum moribus oriri potuerit.

Verum tamen scio equidem et fateor, si quis rem aliquam sola veri perfecta et absoluta severitate aestimaverit, eum non ab omni parte rem ponderasse. Aliae sunt morum, aliae versuum virtutes. Negari sane non potest, quanto magis cum vera hominum dignitate conveniant affectus animi, tanto magis poëtam vere poëtam judicandum esse; quamobrem recentiorum lyrica carmina, quibus purae mentis amor castis versibus perscribatur, antiquae illi elegiae blandienti, sed non semper verecundae multo praestare hoc saltem nomine. Sed si quis carmina ob depravatos mores condemnanda nomineque poësis indigna judicanda esse censeat, is nullo modo justus in aestimandis poëtarum operibus vocari debet. Sed — si hanc rem planius explicare vellem, de aesthetica arte liber scribendus, non de elegia disputatio habenda erat; itaque sic determinata et breviter exposita mea de hac re sententia, in indole elegiae Romanorum describenda consilium meum persequar.

Dixi supra, elegiam Romanorum, quamvis ab Alexandrinis pendeat, tamen quodam modo novam esse, quod nunc probandum est. Erat autem poësis elegiaca Alexandrinorum, Callimachi,

Philetae, Euphorionis, quantum nobis in his rebus videre licet, doctrinae abstrusae repleta, non ex ipsius animi et pectoris affectibus profecta, quoniam non poëtae illi, sed viri docti et quasi mythologiae professores erant; deinde in regia urbe habitantes, ut auram non popularem, sed regiam carminibus captarent, tentatos eos fuisse, nemo negabit. Sic elegia illa Alexandrinorum quodam modo corpus mortuum erat, in quod poëtae Romanorum, gentis morum illius quidem tunc corruptorum, sed nondum sanis animi corporisque sensibus destitutae et, ut sunt Italorum animi, vehementissimis affectibus commotae, quasi sanguinem inspiravere. Hic honos, hoc decus est elegiae Romanae. Sit sane amor elegiacus venereus et ad corporis voluptatem sæpissime referatur; sed hic qualiscunque amor sincerus et ardens, ab illis poëtis Romanorum plene et toto pectore acceptus tam vera arte lyrica perscribitur, ut ad perfectae rei terminum venisse videantur. Neque amor solum, sed omnes commoti animi sensus, odium, dolor ex amissa aut mortua puella captus, alia privatae vitae et gaudia et solamina et desperationes. Quod si quaeritur, quid Romanae indolis proprium in hac elegia inveniatur, hoc fere est: Ut alia omnia ita sensus animi corporisque etiam Romani, ut re vera sunt, sic et eloquuntur et ut ita dicam oculis rectis aspiciunt. Deinde pro gravitate gentis Romanae et severitate haec elegia tristitia quadam et pondere conspicua est, quo fit, ut etiam in gaudiis amoris et amicitiae describendis, quamquam festivitate et lepore non carent, veram tamen hilaritatem neque exhibeant neque sectentur poëtae. Ne Ovidius quidem unquam, quantavis levitate animi et lascivia bacchetur, vere laeto animo scribit, ut nihil dicam de illis tristitiae plenis Tristium libris. Atqui ob hanc ipsam gravitatem similitudo quaedam, quam matrem satietatis esse dicit Cicero (Invent. I. 41, 76), huic elegiae inhaeret, sono illo pentametri simili semper atque eodem aliquantum aucta. Quamobrem quod nos recentiores homines, quum elegiam dicimus, nihil aliud quam flebile carmen intelligimus, id ex Romanorum elegia nobis traditum est. Praeterea hoc quoque Romanorum ingenio est consentaneum, non sine quadam et doloris et voluptatis commentatione sensus in elegia perscribi, qua re factum est, ut saepe et narratiunculae episodiaque mythicae historiae et praecepta quae dicuntur didactica elegiacis immiscerentur. Sed quum sit omnibus his rebus elegia cum ingenio Romanorum conjuncta eique affinis, tamen hoc semper tenendum est, esse eam arte effictam, non ad sensum popularem communeque hominum

judicium accommodatam, neque ex ipsius populi conscientia profectam, sed ex eruditorum et doctrina liberali politorum hominum cogitatione, qui quod talia Graece scripta lectitare solebant, et ipsi ad alia ejusmodi componenda, ut aut suos aut simulatos affectus perscriberent, ducebantur. Qua re fiebat, ut doctis plerumque, non indoctae multitudini scriberent poëtae elegiaci. Atque ob hanc ipsam caussam tam breve tempus floruisse hoc genus, intelligi potest; nam post mortem Augusti, quum securitatem metus, voluptatem morositas secuta esset, neque ullo jam externarum rerum adjumento sustentaretur elegia, tum carmen elegiacum condere quam satiram non scribere difficilius erat.

Postea quam de indole elegiae Romanorum in universum breviter disputavimus, nunc nobis scriptores qui in eo opere restant singuli aestimandi sunt.[3])

In Catullo aestimando, cujus cetera carmina melica huc non pertinent, ante omnia hoc tenendum est, primitiae quod sunt ejus elegiae. Quia liberae etiamtum reipublicae temporibus, quibus vixit ille, nondum in se ipsos tantum receperant homines, quantum postea libertate amissa, ideo non potuit fieri, ut certis finibus circumscriberent argumentum artis lyricae, sed in multa et varia evagarentur poëtae. Sic etiam in elegia. Propterea Catullus et Callimachi elegiam de coma Berenices in sermonem Latinum vertit et omnino in argumentis elegiae eligendis liberius versatus est (c. 65 ad Hortensium, c. 67 cum janua meretricis dialogus, c. 68 epistola ad Manlium). Deinde nondum satis elegia ab epigrammate separata,

---

[3]) Hoc loco nobis omittendas esse putavimus quaestiones illas criticas difficillimas, quae inprimis Tibullum et Propertium legentibus occurrunt — ut his utar exemplis — in Tibullo quae ratio sit elegiarum de Maratho, de Delia, de Nemesi, denique earum, quae de Sulpiciae et Cerinthi amore sunt; quo tempore scriptae sint, quis sit verus ordo carminum, alia ejusmodi — quae omnia sane si accuratius aestimandus esset poëta, omitti non poterant, quia Tibullo non minus quam aliis poëtis accidit, ut non esset semper et in omnibus carminibus idem —; deinde in Propertio quomodo aut inter se connectenda aut separanda singula carmina sint — nam male corrupta et mutilata nobis tradita sunt — et alia non pauca, quae ad singula quaeque scrutanda pertinent. Sed haec omnia longiora mihi visa sunt, quam quae disputationis brevissimae finibus includi possent.

modo acerbis facetiis, quae satirae aptae fuerant, modo rusticitate quadam insignitur. Sed hac eadem rusticitate placet interdum Catullus, vir Veronae in municipio agresti natus, cujus animus nondum luxuria urbis prorsus corruptus erat. Omnino ingenium Catulli ad minora carmina simplicia et lepida pangenda aptissimum, in majoribus argumentis tractandis parum felix neque in disticho satis dextrum. Itaque in elegia Catulli artem etiamtum horridam et incultam in cunis quodammodo vagire recte contendit Hertzbergius.

Elegiam amatoriam, a Cornelio Gallo Romam translatam, Tibullus solam fere sibi electam paene ad artis culmen provexit. Et sane admirandus est Tibullus. Nam quas pectoris — si hoc verbo uti licet — dotes in homine Romano tam raro invenias, ut ipso verbo careat Romanorum sermo, iis totus Tibulli animus insignis. Neque dubitaverim affirmare, si Tibullus aliis temporibus integrorum morum vixisset, nunquam futurum fuisse, ut illis pervulgatis corruptelarum illecebris irretiretur. Nam quod dici solet, saeculi vitiis vitia singulorum excusari, id jure de Tibullo dicere licet. In magnis erroribus — quis enim sine nausea de Maratho cogitabit — tamen puram Tibullo mentem fuisse, eumque et intellexisse et animo sensisse, quid sit alterum toto pectore amare, id maxime ex iis elegiis, quas de Delia sua scripsit, elucet. Sed rursus erat in Tibullo quodam modo quiddam veteris Romanorum ingenii, quo factum est, ut Romanae indolis vestigia in elegiis ejus facile reperias. Quo erat miti et placido ingenio, ruris tranquillitatem et pulchritudinem, ut veteres illi agricolae, quos Cato solos bonos viros esse praedicabat, ita amat et laudat non sine religione et antiqua deorum verecundia; nunquam lasciviens simpliciter et vere amores doloresque suos praesenti et ardenti sensu ita perscribit, ut animi bonitatem ubique perspicias. Ut est homo Romanus, doctrinam Alexandrinorum a se alienam in iis elegiis prorsus deposuit, quas aetate provectiore fecit. Haec vero est ars perfecta Tibulli, ut quamvis contraria jungat variante animi motu, a dolore ad gaudium, a querimoniis ad solamina saepissime transgrediens, nunquam concinnitas orationis desideretur. Cum his omnibus versus consentit dulcis et sedate fluens, plerumque ita dispositis distichis, ut intra singulorum fines cogitationes absolvantur.

Ab hoc longe diversus Propertius tamen nescio an artis perfectione ei non cedat. Ita Quinctilianus etiam (X. 1, 93): „elegia quoque Graecos provocamus, cujus mihi tersus et elegans maxime videtur auctor Tibullus; sunt, qui Propertium malint.“ Est autem

Propertius in elegia non simplex, sed doctus, interdum etiam obscurus; non ex pleno pectore fluit oratio ejus, sed suos ipse affectus maxima doctrina commentatur et cum eorum, qui sunt in fabulis mythicis, comparat, quibus fabulis immixtis efficitur propria Propertianae artis dulcedo. Neque tamen ingenium ejus ut Tibulli placidum et tranquillum neque religionis plenum; igneus est Propertio sensuum vigor et ardor affectuum concitatissimus, quem tamen ipse sibi temperans mentis computatione compescere et lepida ironia lenire non nescit. Versus etiam Propertianus neque sedatus neque vadosi torrentis instar fragosus, sed tanquam ingentis fluminis impetu effunditur, semper rhythmorum plenissimo sono magnifice splendens.

„Ovidius utroque lascivior.“ Sic Quinctilianus (X. 1, 93) nec sane injuria. Nam quum sint Tibullus et Propertius in amore describendo ardentes, nunquam libidinosi, Ovidius amorem ad artem et praecepta revocavit. Quamobrem non est fortuitum aut casu factum, ut is potissimum librum quendam „Artem amandi“ inscripserit. Quod autem nonnulla sua opera, quae supra commemoravimus, specie et forma quidem didactica, re vera amatoria fecit, id eam ipsam ob causam fecisse eum perspicuum est, ut forma didactica quasi suam ipsius nequitiam irrideret: „Ille ego nequitiae Naso poëta meae“. (Amor. II, 2). Multi vero ita existimant, Corinnam illam quam vehementissime se amare dicit amorum libris, nusquam nisi in mente ipsius poëtae fuisse, ficta igitur esse omnia et sola cogitationis luxuria simulata. Quod quamquam nimium est[4]), multa certe ex suae ipsius cogitationis ubertate sumpsisse se ipse fatetur[5]). Unde intelligimus, verum esse posse, quod saepius dicit, vitam castiorem fuisse quam versus[6]). At hi versus ejusmodi sunt, ut quod aliis hominibus verecundum est dicere, id apertissime effutire non pudeat Ovidium. „Stet procul inde pudor“[7]). „Aversor morum crimina, corpus amo“[8]). Neque satis excusatus erit, quod solis meretricibus se scripsisse ait[9]). In Tristium libris et Epistolis ex Ponto, quibus nihil aliud quam queritur de calami-

[4]) Vide sis Trist. IV. 10, 67, ubi de „Corinna non vero nomine cantata“ loquitur.
[5]) Trist. II. 356.
[6]) Trist. II. 354—357.
[7]) Amor. III. 14, 18.
[8]) Amor. III. 11, 35.
[9]) Trist. II. 303.

tate exsilii, aliam esse poëtae mentem, id nemini mirum videbitur; verum non his, sed illis potissimum elegiis amatoriis non mores ejus solum sed etiam animi facultates maxime conspicuae sunt. Nam si quaeritur, quo tandem excellat Ovidius, vitia illa tanta toleranda non erant, nisi aliis virtutibus quodam modo compensarentur. De qua re audiamus Senecam[10]: „Habebat ille comptum et decens et amabile ingenium, oratio ejus — nihil aliud poterat videri quam solutum carmen." Id recte dixit Seneca. Nam amabilis est Ovidius, quia in tanta levitate animi sincerus et apertus est. Deinde nemo est qui neget, Ovidium poëtae facultatibus inter omnes Romanorum poëtas unum maxime eminere. Versus tam facile faciebat, ut ipse de sese jure profiteretur

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
et quod tentabam scribere versus erat[11]).

Omnino nemo Romanorum in omnibus, quae ad formam spectant, liberius versatus est. Sed non sola forma egregius est Ovidius. Ita enim inventionis copia abundat, ita perspicuitate omnium, quae vel narrat vel describit vel queritur, excellit, tam lectis verborum coloribus depingit, tanta festivitate tantisque facetiis orationem illustrat, tam et ingeniose et speciose blandimentis carminum lectores allicit, ut tantum non vitiorum omnium obliti prae tam praeclara eloquendi svavitate legendi voluptati se tradere cogantur. Doctrina mythologica imbutus nunquam ea ad ostentationem abutitur: in hoc non minus quam in aliis omnibus nihil aliud quam ludit Ovidius. Rhetorem et Porcii Latronis auditorem facile agnoscas, id quod Senecae verbis confirmari potest sic totum Ovidii ingenium recte describentis: „tunc autem quum studeret habebatur bonus declamator — molesta illi erat omnis argumentatio; verbis minime licenter usus est, nisi in carminibus, in quibus non ignoravit vitia sua, sed amavit — apparet summi ingenii viro non judicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum"[12]).

---

[10]) Controv. II. 10, 8.
[11]) Trist. IV. 10, 25.
[12]) Sen. Contr. II. 10, 9 & 12.